



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. DIONYSII || CARTHVSIANI, DE || DOCTRINA ET REGV-||lis
vitae Christianæ**

Dionysius <der Kartäuser>

Coloniae, 1577

VD16 D 1959

Quod quartuor nouissimorum intenta consideratio, ad mu[n]di
contemptu[m] eminenter inducit 19.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60177)

Psalm. 93.

& vilitatem omnium mundanorum. Verè siquidem beati sunt, quos tu domine ita docueris, ad mundi contemptum induxeris, ad spiritualis vitæ perfectionē promoueris. Nonne mi frater ingeniose, obtenebratam tibi mētem habere videtur, qui his lectis, auditis, & cognitis ad mundi despectum non provocatur, ad deiformem perfectionem prætactam nō inflammatur? Noli ergo amore minimorum amittere maxima. Noli plus oblectari in creaturis, quam creatore. Noli mundo tenacius inhærere quam Deo. Ecce mundus transit & concupiscentia, vanitas, gloria eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.

1. Ioan. 28

*Quod quatuor nouissimorum intentæ
consideratio ad mundi contemptum
eminenter inducit,*

*Artic. XIX.**Eccles. 7.*

Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Non iā duntaxat lapidei, sed & ferrei cordis est, quem ad Dei timorem & mundi contemptum, ad vitæ emēdationē, ad mētis custodiā,

nes

nec horror diræ mortis, nec diuini iudicij paor, nec infernalium tormentorum sempiterna accerbitas, neque cœlestis patriæ infinita felicitas incitant & perducunt. Si credis, imo cum scias te moriturum, & horam prorsus ignoras, noueris quoque post hanc vitam non esse statum aut tempus merendi, cur vlllo momēto bene agere prætermittis? cur aliquam horam infructuosam pertransis? cur in talistatu esse præsumis, in quo mori non audes? Fac ergo dilecte quod Salo. ait: Quicquid manus tua potest, instanter *Eccle. 9.* operare. Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. Non impleatur in nobis quod denuo loquitur Salom. de negligentibus & iniquis: Sicut capiuntur pisces hamo & aues laqueo, sic capiuntur homines tempore malo, cum eis exemplo superuenerit. Mortis ergo horrorem, diuini iudicij expauescēdum districtissimumque discrimen, ardentis gehennæ metum, ab oculis cordis tui elongari nequaquam permittas. Dicit nanque Hieronymus: Nihil sic reuocat à peccato, quam frequens memoria mor- *Hieron.*

Chrysoft.

tis. Et sicut ait Chrysoftomus: Fallax est hic mundus, finis dubius, exitus horribilis, iudex terribilis, poena in terminabilis. Denique (vt refert Ambrosius) etiam Plato asseruit omnem sapientum vitam esse meditationem mortis. Præmeditemur ergo quotidie quid sumus futuri. Qui se iugiter pensat moriturum, spernit præsentia, & ad futura festinat. Idcirco autem Deus latere nos vitæ voluit finem, diemque mortis nostræ esse nobis ignotum, vt dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur, & tanto quisque sit feruentior in operatione, quanto magis incertus est de vocatione. Noli lachrymarum causam tripudiando peragere, & mortis tuæ negotium ridendo exequi inconsulte. Cum surgitur diluculo, non putes ad vesperum te peruenturum. Cum ad quiescendum te in lecto posueris, nõ de auroræ præsumas aduentu. Sicque facillime ab omni te refrenabis affectu mundano & vitio. Aduerte quod cito adueniet hora, vt ex hac vita ad ignotam transeas regionem, moxque tum metuendissimo tribunali summi Dei te oportebit astare. Tunc tēpus omis-

sum

*Ambro.
Meditatio
mortis quã
fit utilis.*

H. DE ARCTA VIA SALV. 351

sum & neglectū infructuose, recuperare non poteris: nihilque te iuuare aut consolari valebit eorum quæ nunc inordinate diligis, iniusteque agis. Tunc dolebis te tam intemperate vixisse, omisisse tot bona, & commisisse tot mala. Nunc autē pariter pœnitentiam agamus dignā. Sic modo Christum iudicem veneremur, vt tunc ab ipso reuerenter suscipiamur. Sic iam propter peccata nostra tristemur, vt tunc ab ipso æternaliter consolemur. Præterea si diuini iudicij distributionem per pēdis, omnem sæculi vanitatem protinus despicias, atq; ad vitā pœnitentialem occurris. Etenim in hora iudicij stabit mundus in igne conflagrationis: qui & reprobos tunc exuret. Christus in aere residebit: vniuersi ordines angelorum astabunt, visibiliterque parebunt, & omnes ciues coelestes. Iacebunt reprobi in terra quam amauerunt cum horrendis suis corporibus, obscuris grauisimis, quæ tunc deformiora horribilioraq; erūt, quàm tūc, quando pro media parte in monumentis à vermib⁹ erant corrosa. Aderit vniuersitas demonū & omne genus humanum, Tunc singulorum

vita

vita singulis innotescet, vt omnes simul iustissimum esse Dei iudicium recognoscant. Quid tunc anxietatis, quid poenę, quid intolerandę miseri-
 inerit impijs, se in æterna inferni tormenta mox proijciendos videntibus. Statim namque prolata sententia: *Im-*
maledicti in ignem æternum: terra
os suum aperiet, deglutiet eos, corrue-
ntque in profundissimum lacum in-
ferni, in quo æternaliter detinebun-
tur conclusi. Huius iudicij imagina-
tio terreat te & me, quomodo terreat
sanctum Hieronymum: Quotiens (in-
quit ipse) diem illum considero, toto
corpore contremisco. Siue enim co-
medo, siue bibo, siue aliquid aliud fa-
cio, semper videtur tuba illa terribilis
sonare in auribus meis: Surgite mor-
tui, venite ad iudicium. Rursus ait
idem doctor sanctissimus. Iudicaturus
domino lugubre mundus immugiet,
& tribus ad tribum pectora feriet: po-
tentissimi quondam reges nudo late-
re palpitabunt, adducetur cum suis
stultus Plato discipulis. Tunc Aristo-
telis argumenta non proderunt, cum
venerit ille filius pauperculę questua-
rię iudicaturus fines terrę. Tunc a

dextris

Matth. 25.

Hieron.

H. DE ARCTA VIA SAL. 353

dextris erunt peccata nos accusantia, à
sinistris dæmonum infinita turba ac-
cusare promptissima, subtus horren-
dum chaos inferni, supra aperti scissi-
que cæli, in aere iudex iratus, foris
mundus ardens, intus conscientia v-
rens, vbi etiam iustus vix saluabitur.
Heu miser peccator sic deprehensus,
quo fugiet? Impossibile erit latere, & 1. Pet. 3.
intolerabile apparere. Hæc videntes
damnandi turbabuntur timore hor-
ribili, ingemiscetes præ angustia spi-
ritus, & dicentes, Errauimus à via ve *Sapient. 5.*
ritatis, & iustitiæ lumen non luxit
nobis. Lassati sumus in via iniquita-
tis. Potius mi dilecte nunc eligamus
cum electis mundi delicias ab horrere,
pœnitentiæ opera exercere, Deo cum
debita reuerentia, timore, & puritate
deseruire, quam tantam calamitatem
incurrere. Præterea quicumque pœnas
inferni diligenti profunda que mente
reuoluit, omnem sæculi vanitatem &
laudem atque peccata proculdubio
abhorrebit. Quid enim est in carcere
infernali, in medio ignis feruidissi-
mi, in lacu tam miserabili sine spe
liberationis æternaliter claudi, inef-
fabiler cruciari, innumerabilibus
pœnis

Gregor.

pœnis affligi? Vt enim Gregor. profiterur, Erit in inferno intolerabile frigus, inextinguibilis ignis, vermis immortalis, foetor intolerabilis, tenebrae palpabiles, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum, odium omnis boni honesti, inconuertibilis auersio à bono summo, & inauertibilis ad bona caduca conuersio. Quoniam licet in inferno sit stimulus pœnitudo, nulla tamen erit ibi correctio voluntatis, à quibus ita culpabitur iniquitas sua, vt nullatenus possit ab eis diligi vel desiderari iustitia. Et quid op⁹ est de isto agmē verborum inducere? Tu ipse oculis fidei tibi describe profundissimum lacum, omni miseria plenum, omni tempestate, clamore, vlulatu, desperatione plenissimum, æstuantissimo igne feruentē, dolorosissimis habitatoribus abundantem. Considera diligenter quid sit in lacu tali æternaliter cruciari, in igne tam æstuosus flagrantē incendijs sine fine torqueri, horribilissima dæmonum & omnium dånatorum visione, societate, calamitate afflictiari. Lacus iste infernus est,
qui

DE

qui i
nebro
terra
bra m
ternu
reliq
ferni
tissim
inoro
proxi
infel
vitæ
nes i
trans
speri
tur &
perd
& re
ad i
aréta
tino
subl

Q

DE ARCTA VIA SALV. 355

qui in libro Iob appellatur terra tenebrosa, & operta mortis caligine, *Iob. 10.*
terra miseriæ & tenebrarum vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Nam & vltra reliquas interminabiles pœnas inferni, est quoque in eo tota turbulentissima, pœnalissima, & inæstimabilis inordinatio. Nonne tibi infelices prorsus & plusquam terque quaterq3 infelices videntur, qui propter huius vitæ breuissimas libertates, oblectationes illicitas, vanitates mundanas, transitorias affectiones, diuitias, prosperitates, tam inexplicabilem merentur & illabuntur miseriam sine fine perdurantem? Egrederere itaque *Matth. 7.*
& relinque latam sæculariam viam ad istam infelicitatem ducentem, & arctam viam amplectere, fructuosè, timoratè, & reuerenter coram Deo sublimi viuendo.

Quod ad contemptum mundi potissimum nos inducere debet gloria beatorum.

Articul. XX.

Quam

3